



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCXCVII. De Fratре Siffrido Magistro Generali terrae Prussiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Sigfridus de Feuchtwangen XII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Henricus de Plozke XVII. & ult. Mag. Prov. in Prussia.*

Sambia & territoria Povvindia & Rudovvia incendio vastaverunt. Sed cum perciperent quod fratres cum maximo Exercitu eos diu expectassent in noctis medio recesserunt.

*Principes Alemannia Electores
Henricum Comitem de Luzenburg
in Regem Romanorum concorditer
elegerunt.*

CAP. CCXCVII

De

Fratre Siffrido Magistro Generali terra Prussia.

Anno Domini MCCCIX. frater Siffridus de Wuegvvagen Mag. Generalis XII. & terra Pruschia Magister XVII. venit ad terram Prussia & domum principalem, qua à tempore (a) destructionis civitatis Achonensis fuerat apud (b) Venetias transtulit ad Castrum (c) Mergenburg in Prussiam,

*Anno Domini
MCCCIX. idem
electus in Epi-
phania Aquin-
Grani corona-
tur.*

ANIMADVERSIONES.

- (a) Alii dicunt jam Hermannum à Saltza Venetias sedem suam transtulisse ex urbe Acconensi multo tempore ante destructionem Acconæ. In ea sententia est Autor Chronici Prussici Latino sermone scripti, quod in Curia Palæopolitana Regiomonti asservatur; cui sententiæ nos etiam adstipulamur. Mariæburgum autem sibi Magister elegit, arcem elegantissimam & firmissimam. In eadem Arce sub templo Divæ Virgini à Dieterico C. de Aldenburg dicato in caverna S. Annæ sepulti sunt Dietericus C. de Aldenburg: Henricus Dusnerus ab Arffberg: Winricus à Kniprode: Conradus Zolnerus à Rotenstein: Conradus Tiberius à Wallenrod: Conradus à Jungingen: Henricus Reus à Plaumen I. Michael Richmeister à Sternberg: Paulus Bellicerus à Rustdorf: Conradus ab Erlinghausen *Vid. Henneb. ad tab. Pruss. pag. 286. seqq.* Cum verò Prussi Regi Poloniae Casimiro anno 1455. sese subiecissent,

sent, Magistri sedem suam transtulerunt Regiomontum, ubi etiam in templo Cathedrali Kniphoviano sepulti sunt; Ludovicus ab Erlichshausen: Henricus Reus à Plauen II. Henricus Reffe à Richtenberg: Martinus Truchsessius in Witzhausen: Johannes à Tieffen, Magistri sese in Magistratu ex ordine subsequentes. *Vid. Henneb. ad tab. Pruss. p. 199. seq.*

(b) Eadem de translatione sedis habet Nicol. Jeroschin. Item Chronicon German. antiquum, circa An. 1430. script. Alb. Cojalov. *Part. I. Hist. Lib. p. 234.* Sed Chronicon Ordinis Magistros venetiis sedem suam transtulisse refert Marpurgum in Hassiam, & inde demum Mariæburgum in Prussiam. Idem ex Auctore Chronici Ordinis habet Waisselius & Franciscus Menenius in *Deliciis & questibus*. Videantur quæ ea de re diximus ad caput 276.

(c) Quæ tum forma Reipubl. fuerit constituta diximus supra ad Cap. CCLXXXVIII.

CAP. CCXCVIII.

Hoc tempore fratres oppressi fuerunt multis tribulationibus. Unde statuit (a) idem frater Siffridus Magister, quod post singulas horas fratres Clerici Antiphoniam: Salve Regina, cum versiculo: In omni tribulatione, & collecta: Protege Domine. Et Laici fratres unum Ave Maria dicerent ob reverentiam B. Virginis, ut per ejus intercessionem dicta turbatio posset aliquantulum mitigari.

ANIMADVERSIO.

(a) Vocandum, Ordinis Magistros Generales in Prussia de Sacris quoque in Conventibus suis egisse. Exemplum primum de primi Mag. Ord. Henrici à Walpoth instituentis, Precationem Dominicam, Ave Maria & Confessionem Catholicam certa ordinatione vide Waissel. *fol. 41. b.* Conf. initium secundæ Chronicæ Dusburgii, Et Constitutionem Wernerii de Orfelen Ord. Mag. de Evangelio: In principio erat verbum. Hæc Dominus Zamelius. Constat hoc ipsum etiam ex legibus Ordinis, ut & peculiaribus Magistrorum legibus, quæ in multis vetustis Codicibus adhuc habentur.

CAP.